



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiae Activae**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Caput II. De Communione Ecclesiastica, & officiis, quae illa circa membra
Ecclesiae externae in diverso gradu constituta observare jubet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

nio illustriorem splendorem nacta est, sublato & pariete intergerino, & fœdere externo. Hinc exercitium ejus diebus N. T. promissum Zeph. III. 9. Zach. VIII. 21. XIV. 9. Joh. x. 16. Initium implementi visum est Act. IV. 32.

C A P V T S E C V N D V M.

De Communione Ecclesiastica, & officiis, quæ illa circa membra Ecclesiæ externæ in diverso gradu constituta observare jubet.

S U M M A R I U M.

- I. *Definitio COMMUNIONIS ECCLESIASTICÆ datur §. 1.*
- II. *Illâ deducitur per partes 2 --- 41.*
 - A. *Fundamentum officiorum eo pertinentium 2.*
 - B. *Personarum, ad quas illa pertinent, differentia 3.*
 - C. *Officiorum enumeratio 4 --- 41.*
 1. *Quæ singulis in suo ordine competunt 4 --- 21.*
 - a. *Moderatoribus Ecclesiæ 5 --- 9.*
 - α. *Ministris Verbi divini 5.*
 - β. *Sociis eorum 6 --- 9.*
 - ℞. *Presbyteris 6. 7.*
 - γ. *Diaconis 8. 9.*

b. Mem-

b. Membris Ecclesie 10 --- 21.

α. Quibuscunque in genere 11 --- 15.

2. Quoad Ministros 11 --- 14.

a. In eorum constitutione 11.

b. Quoad illos, qui jam constituti sunt 12 --- 14.

3. Quoad Presbyteros & Diaconos 15.

β. Magistratibus in specie 16 --- 21.

2. Quid illi debeant Ecclesie 16 --- 20.

a. Exponitur 16 --- 19.

α. Quoad exercitium Juris sui 16 --- 18.

† Circa spiritualia 17.

†† Circa temporalia 18.

b. Quoad ejus temperamentum 19.

b. Argumentis urgetur 20.

3. Quid membra Ecclesie debeant Magistratui 21.

2. Quae a pluribus simul junctis desiderantur 22 --- 41.

a. In Ecclesia libera 22 --- 39.

a. Ordinando, quae sunt salutaria 22. --- 34.

2. Personarum requisita 23.

3. Officia ipsa 24 --- 34.

a. Circa Fidei FORMULAS conficiendas 24 --- 26.

b. Circa DISCIPLINÆ exercitium 27 --- 33. Illius

a. Definitio 27.

b. Fundamenta ejus 28. 29.

Hh 3

c. Of-

c. Officia ipsa per partes dedu-
cta 30 --- 33.

† Quoad peccata 30.

†† Quoad modum disciplinae
observandum 31 --- 33.

, Censoribus 31.

,, Illis, quos censura fe-
cit 32.

,,, Toti cœtui 33.

c. Circa RITUS ecclesiasticos 34.

β. Reformando a corruptione 35 --- 39.

Ubi explicatur

α. Quid incu. at singulis fidelibus
36 --- 38.

β. Quid Magistratibus & Ministris
39.

b. In Ecclesia pressa 40. 41.

α. Sub Magistratu diversa religionis 40.

β. Ingruente persecutione 41.

I.

Quemadmodum Sanctuarium cingebatur ab
Atrio, ita *Communio Sanctorum* sepes est
COMMUNIO ECCLESIASTICA ea fini ex au-
thoritate divina secundum præscriptum Verbi & indo-
lem Evangelii inter illos, qui externe Fidem veram
profitentur, per hominum ministerium instituta & con-
servata, ut per observationem officiorum hanc Com-
munionem constituentium ipsa interna Sanctorum Com-
munio promoveretur.

II. Author adeoque hujus *Communio* ipse
Deus est, tanquam *Dominus Zebaoth* & *Deus ordinis*
& si-

& sigillatim *Filius Dei* Joh. xx. 21. sq. Ephes. iv. 11. qui generalia saltem præcepta eo pertinentia ipse proposuit, quamvis eorum executionem, ampliationem & variationem secundum diversas circumstantias *Ministris* ex hominibus, *primario* extraordinariis, sed *secundario ordinariis* reliquerit. Impellens autem seu finalis hujus instituti causa quando dicitur *interna Communionis* promotio, ex eo ipso apparet, quanti ipsa hæc *externa Commu- nis* æstimari debeat, & quomodo tam in propria commoda quam in ipsum Christum, ejusque membra delinquant, qui vanis prætextibus utentes se ab illa *separant*.

III. Personas in hac Communione *correlatas* Scriptores Ecclesiastici in CLERICOS & LAICOS mature distinxerunt. Nec discrimen hoc penitus rejicimus, si duntaxat fermento Papistico expurgato ad *priores* referantur, quicumque in Moderamine Ecclesiæ strictius considerato partem aliquam habent, ad quos hodierna praxis pro variarum Ecclesiarum particularium morte iterum diversos tam *ordinatos*, sive sint *Episcopi*, sive *Presbyteri*, quam *non ordinatos* quales sunt *Seniores Diaconi*, aut quicumque alii cœtum repræsentantes sedem in Dicasteriis ecclesiasticis habent. Posterioris autem ordinis sunt, personæ tam *publicæ*, quam *privatæ*, quæ tanquam singularia Ecclesiæ membra Moderamini ejus certa ratione se subjecerunt. Quæ circa *Ordinum Ecclesiasticorum* in abstracto spectatorum *institutionem* aut *jura* controversa sunt, hic sicco pede præterimus. Personis tantum in *concreto* consideratis, quocumque *gradu* gaudeant, *officia* scribimus. Quamvis

enim *Moderamen Ecclesia* in uno loco melius se habeat, quam in alio, omnis tamen mutatio circa illud cum periculo insigni conjuncta est. Ipsi navi in eo occurrentes eo minus Ecclesie nocent, quo studiosius singuli officiis suis defungentur.

IV. *Officia* autem alia omnibus, alia singulis incumbunt. Ad omnes pertinent, quæ *Cultum Dei publicum* constituunt & Lib. 11. cap. 6. §. 30. enumerata sunt. Quæ singulis sunt observanda, aut solos, aut cum aliis unitos concernunt.

V. Qui in MINISTERIUM Ecclesie per *Impositionem manuum* adsciscuntur aut adsciti sunt, in illis, si soli spectentur:

(1) Quædam *qualitates* supponuntur, tum communes cum omnibus Christianis, tum quæ peculiariter ipsos ad Ministerium idoneos reddere queunt. Catalogus earum occurrit 1. Tim. 111. 1--10. 2. Tim. 11. 24--26. Tit. 1. 5--9.

(2) Alia officia proxime ipsa muneris ratio exigit, tam in illo suscipiendo, quam in illo rite obeundo.

(a) In eo suscipiendo & legitima *Vocatio* & debita *Preparatio* commendata esse debet.

(b) Ad munus *Ministri Evangelici obeundum* duas officiorum classes referimus. Alia enim ei ut *Pastori*, alia ut *Doctori* competunt. *Doctoris* partes docendo tum ore tum scripto sive per *sermones* sive per *catechizationes* implebit, quando in illis sese simul ut fidum *Interpretem* & ut patheticum *Ecclesiasten* præstabit. *Pastoralis* cura, quamvis & ipsum *Doctoris* munus certo respectu involvat, magis tamen per *privatam* cum cætus singu-

lis membris conservationem ac figillatim per pia colloquia, consilia, hortationes, errantium convictiones, litigiorum tempestivas compositiones, scandalorum præcautiones, visitationes aegrotorum, captivorum, *afflictorum* & similia exercetur. Quæ explanatius, Deo volente, alias pertractabimus.

VI. *Ministris Ecclesie* in plurimis Ecclesiis Reformatis conjuncti sunt PRESBYTERI *Laici*, quales Apostolus 1. Tim. v. 17. videtur distinguere ab illis Presbyteris, qui *laborant in sermone & doctrina*, & Röm. xii. 8. 1. Cor. xii. 28. sub nomine *πρεσβυτέρων* atque *κλειςρονησων* involvere. Praxis saltem Ecclesie diuturna ordinem hunc non inutiliter conservavit. Cum autem hi proximi Ministrorum in dirigendis rebus Ecclesie sint adjuutores, eo magis per ipsos Ecclesia ædificabitur, quo magis easdem *qualitates* possidebunt atque exercent, quas in *Presbyteris* stricte ita dictis Evangelium desiderat. Sint ergo Viri cognitione Verbi ac Viarum Domini non mediocriter tincti, prudentes ac valentes consilio, spectatae authoritatis, negotiis aliis non ita implicati, ut non simul curæ Gregis vacare possint ac velint, pacifici, vitæ inoffensæ.

VII. *Officiorum* autem, quæ illis incumbunt, hæc est summa; attendere ad illa, quæ Ædificationem totius cætus singulorumque ejus membrorum concernunt; invigilare casibus & circumstantiis, quibus ea impediri queat; studium impendere, ut omnes remoræ atque offendicula tam doctrinæ quam vitæ mature tollantur, atque ubi id in eorum potestate non est, Ministros mature

monere ; consiliis fidis illos adjuvare ; privatis admonitionibus , convictionibus , visitationibus vices eorum pro re nata subire ; quin ipsorum Ministrorum errantium aut impingentium curam gerere ; denique in moliminibus eorum piis ad cœtus salutem spectantibus indefessi eorum adjuutores esse.

VIII. **DIACONORUM** qualitates per compendium Apostolus exhibet. 1. Tim. III. 8 -- 13. Præcipua autem officia in ordine Ecclesiastico Ecclesiæ Belgicæ ita exprimuntur : *Diaconorum proprium officium est , eleemosynas ac alia quæ pauperum spectant bona , diligenti opera colligere , eaque fideliter & solerter , ut penuria egentium , quæ indigenarum , quæ exterorum exiget , consensu communi distribuere , anxios animi invisere ac consolari , atque omni opœniti ne Eleemosynæ male collocentur.*

IX. Ecclesiæ primitiva Diaconis adjunxit *Diaconissas* , in quibusdam cœtibus etiamnum residuas. Harum requisita occurrunt 1. Tim. v. 6. 10. Munus earum comprehendit certa quædam , cum primis circa pauperes , peregrinos , captivos , & agrotos , puerperas , infantes , charitatis officia , quæ non tam commode aut decore a Viris præstari possunt.

X. Ipse Grex Ecclesiæ sub **LAICORUM** seu *Populi* nomine distinctus secundum varias differentias tam *externas* , quam *internas* spectari potest. *Interna* solam coram Deo præcellentiam dant ; *externarum* apud homines quoque ratio , procul omni tamen *prosopolepsia* Jac. 11. requiritur. *Magistratum* sane ad Ecclesiam singularis præ aliis membris est relatio , quæ ansam dat distinguendi

di inter officia *quibuscunque Christianis* circa Præpositos exercenda, & *Magistratibus* sigillatim incumbentia.

XI. *Quibuscunque Christianis*, cum Præpositi Ecclesiæ suo munere rite defungentes *Parentum* loco sint habendi, incumbit quoad ipsos Ecclesiæ Ministros ante omnia de illis *adipiscendis* curam gerere. Quo pertinet

(1) *Orare*, ut Deus fideles Doctores mittat Matth. 18. 37. 38.

(2) Doctores falsos a veris *discernere*, eosque evitare Matth. 23. 15. 16. 23. 14. Joh. 8. 5. 2. Joh. 10. 11.

XII. Circa Ministros, quos Deus indulget, eadem *judicii* libertas singulis Auditoribus competit, idque tam quoad *doctrinam*, quam quoad *vitam* eorum. *Doctrinæ* eorum scrutinium secundum Verbum Domini cuilibet privato est instituum Act. 17. 11. 1. Joh. 14. 1. Quoad *vitam* licet prudentia & æquanimitas sit adhibenda, *correctiones* tamen itidem sunt observandæ 1. Tim. 5. 19. 20. Quin ubi per illas *non proficiunt*, ac in scandalum publicum hæresis aut vitia Pastoris graviora prorumpunt, & nihilominus per *viciosam tolerantiam* illis connivetur, ad tempus a communione cum tali Pastore abstinere fideles tenentur.

XIII. *Legitimis* autem *Ministris* debetur

(3) *Interne Honor* atque *Amor* tanquam Dispensatoribus mysteriorum divinorum, quorum medio Deus ex singulari misericordia ad salutem hominum utitur 2. Cor. 5. 19. 20. 1. Cor. 14. 1. 1. Theff. 5. 13. 14. 1. Tim. 5. 17. Eminentior hic affectus

affectus erit in illis, quibus verbum suorum Praconum reapse in semen regenerationis evasit 1. Cor. IV. 15. Gal. IV. 14.

(2) Hic animi affectus *externe* demonstrandus est:

(a) *Precibus* Rom. XV. 30. Ephes. VI. 18. 19. Hebr. XII. 18.

(b) *Obedientia* Verbi eorum, in quantum conscientia testatur cum Verbo Evangelii id convenire, 1. Thess. II. 13. Rom. VI. 17. Hebr. X. 11. 17. Obedientia hæc non solum *activa*, sed etiam *passiva* esse debet, quando correptiones & reprehensiones adhibentur Jac. I. 21.

(c) *Patientia* ac mansuetudine, qua ipsi eorum nævi sunt tractandi atque operiendi.

(d) *Imitatione* boni eorum exempli 1. Cor. IV. 16. Phil. III. 17.

(e) *Necessariorum* ad vitam corporalem *suppeditatione* 1. Tim. V. 18. 1. Cor. IX. 14.

XIV. Quæ *selectum* inter Ministros spectant, maximam prudentiam & circumspectionem desiderant. Ubi unus tantum cœtus Minister est, discrimen locum minus habet. Quin vero inter plures regenitus irrogenito sit præferendus, quis dubitabit? Verum ecquis pius etiam sibi facile iudicium de ea re super alieno servo arrogare audebit, nisi criteria nimis aperta sint? Ex *charismatibus* quoque præferenda, quæ ad ædificationem sunt aptiora. Cavendum tamen & a contentu eorum, qui minori donorum Spiritus sancti mensura gaudent, & multo magis ab omni partium studio, omniumque humanorum nominum appel-

appellatione, quæ schismati ansam præbet 1. Cor.
1. 11. 13. III. 4--7.

XV. Officia Ministris Ecclesiæ exhibenda exemplar sunt, secundum quod exigi possunt, quæ reliquis Præpositis debentur. Et ad *Seniores* quidem ratio est universalior, quam ad *Diaconos*. Quoad hos speciatim incumbit *ditioribus*, ut Collectis sufficientibus eos in dispensando sublevent; *egenis*, ut illis tanquam *Benefactoribus* suis filialem reverentiam atque affectum præstent.

XVI *Jus*, quod MAGISTRATUI Christiano circa *sacra* utique competit, quamvis pro diversa Rerumpublicarum constitutione in quibusdam circumstantiis differat, maximam tamen illi prærogativam conciliat. Convenit ergo ei, Jure hoc ad finem, in quem concessum est, rite uti, ut Ecclesiæ commodum per curam tam circa *spiritualia*, quam circa *temporalia* exercendam promoveatur.

XVII. Cura circa *spiritualia* potissimum hæc involvit.

(1) Prospiciant Ecclesiæ de aptis dignisque Pastoribus, sive eos *constituendo*, ubi *Jure patronatus* gaudent, sive impediendo, ne Cætus libera electione fruente privilegio suo in vocandis indignis abutantur. Idem circa *scholas*, quæ magis a Magistratibus passim dependent, incumbit.

(2) Quæ ad *Cultus publici* decorem atque ordinem spectant, ita dirigant, ut *Ædificatio* Ecclesiæ promoveatur 1. Chron. xiv.

(3) Ad *corruptelas* tam in *doctrina* quam in *culta*

culta & moribus gliscentes debite attendant, illisque aut praestruere aut consulere pro re nata studeant, Sic instituerunt Assa 1. Reg. xv. 12. Josaphatus 2. Chron. xvii. 6. Ezechias 2. Reg. xviii. 4. 2. Chron. xxix. 5. sq. Josias 2. Reg. xxiii. 4. sq. 2. Chron. xxxiv. 3. sq.

(4) Ministros probatae fidei *consilio*, *favore*, *authoritate* sua fulciant, ut sancto Ministerio *honor* & *existimatio* illa integra conservetur, sine qua contentui aliorum exponeretur.

(5) *Devotionis* in Cultu publico exemplo prae-
luceant 2. Sam. vi. 22.

XVIII. Ad curam circa *temporalia* referimus, ut *Bona Ecclesiastica*, quae requiruntur partim ad *alendos Ministros*, partim ad *aedificiorum* Cultui publico destinatorum *sustentationem*, & quantum sufficit, praestent, & quae destinata sunt, conservent; neque facile patiantur illa abalienari Luc. vii. 4. 5.

XIX. De caetero pius Magistratus intra cancellos juris & aequi se libenter continebit.

(1) Ante omnia abominabitur *dominium in conscientias* quod soli Deo reservatum est.

(2) Circa *tolerantiam religionum* media via incedendum erit. *Dogmata impiorum* fundamenta omnis Religionis concutientia ex Republica Christiana prohiberi atque ejici debent. *Dissentientes* in minus fundamentalibus, si quietem publicam non turbent, non sunt temere inquietandi. Qui inter utrosque sunt mediis, pro circumstantiis Reipublicae diversis interdum *convenientiam*, interdum majorem *rigorem* requirunt. Videtur tamen *Judaeis* aliquam in *tolerando* praerogativam
prae

præ aliis æque declaratis Religionis nostræ Ho-
stibus concedendam esse, tum propter *Patres*,
quia *salus nostra est ex Judæis* Joh. 1v. tum quo-
niam eorundem Conversio adhuc speranda Rom.
XI. 22 -- 28.

(3) *Limites auctoritatis*, qua fruuntur, non
facile migrent, vel ea de causa, quoniam Magi-
stratus successu temporis variis in Religione mu-
tationibus sunt obnoxii, eorumque usurpata po-
testas, a successoribus contrariæ Professionis in
Ecclesiæ veræ insigne præjudicium & discrimen
possunt converti.

XX. *Fidelitas* in præstandis his Ecclesiæ offi-
ciis Magistratui Christiano maximi momenti esse
debet.

(1) Si *Salus* Reipublicæ suprema ipsis Lex est,
tum persuasi erunt, quod salus Reipublicæ a sa-
lute singulorum civium dependeat. Quidni ergo
omni modo & *in summo gradu cives felices* red-
dere contenderent?

(2) Si unusquisque Christianus, quantum va-
let, ad salutem *animæ* Proximi afferre obligatus
est, quanto magis, qui plus cæteris valent, illam
potestatis præminentiam Bono Proximi *solido &*
sempiterno impendent?

(3) Nihil ipsum Reipublicæ Statum florentio-
rem, magisque morigeros Magistratui subditos
reddet, quam florens illius Religionis status, quæ
præ omnibus aliis ad fidelitatem & obedientiam
strictissime Superioribus præstandam incitat, at-
que saluberrima media præscribit ad illas cupidi-
tates malas compescendas, quæ omnium seditio-
num ac turbarum prima scaturigo sunt.

(4) Hanc

(4) Hanc gratiam Deo debent pro eo, quod præsidium atque hospitium dilecti sui populi ipsis demandaverit & quasi in pretiosum depositum dederit 2. Sam. VI. 21.

(5) Quemadmodum Deus populum suum pro pupilla oculi sui reputat, & contemptum ejus gravissime est vindicaturus, ita & *benedicet* illis, qui Abrahamo benedicent Gen. XII. 3. Psalm. cx. 13--15.

(6) Sic & ipsius Christi, summi Regis Ecclesiæ, & piorum Regum, quorum memoria in perpetua benedictione est, vestigia prement.

(7) Sic per eos magis magisque implebuntur splendidissimæ promissiones, diebus Nov. Testam. & præcipue ultimis factæ, de dandis *Regibus ac Principibus* in *nutritios* Ecclesiæ Psalm. XXI. 1. 2. XLVII. 10. Jes. XLIX. 23. LX. 10. Apoc. XXI. 24.

XXI. Singularis etiam est tam *Moderatorum* quam *Populi* Christiani ad tales Magistratus relatio. *Prioribus* incumbit non solum in jura ejus non involare, qui character verus est Antichristianismi in tyrannide Papali Jud. vers. 8. sed etiam auctoritatem ejus, tanquam sacram ipsius Ecclesiæ anchoram pro virili tuebuntur. *Posterioribus* in illis tanquam vero Orbis Christiani delicio latabuntur, & eorum exemplo animati cum fervore majori Cultum Deo placentem præstabunt.

XXII. *Officia*, quæ non a singulis dependent, sed *plurium* conspirationem ad Bonum Ecclesiæ requirunt, sunt illa, quæ pertinent ad *exercitium Juris Ecclesiastici*, cujus veri limites accurate de-

debet constitui, ne aut potestas spiritualis in corporalem convertatur, aut Clerici ad se rapiant, quæ simul ad Magistratum Politicum spectant. Huc referimus tum in genere *JUDICIA* Ecclesiastica certo ordine sibi per *Consistoria*, *Classes*, *Synodos* subordinata, tum specialius *Decisiones* de rebus majoris momenti, sive ad *fidem*, sive ad tam *disciplinam* tam *instituendam*, quam a *corruptelis* insignibus *repurgandam* pertinentibus, sive ad *Rituum Ecclesiasticorum* modum constituendum, ad quas extraordinarii *Conventus*, *Colloquia*, *Concilia* auctoritate Magistratus indicta, requiruntur.

XXIII. Negotiorum tanti momenti demandatio facienda est personis singulari Spiritus sancti modulo, cognitione voluntatis Domini, prudentia, robore animi, experientia pollentibus. Qui autem in illis actu versantur, ab una parte sibi caveant, ne perversis quibusdam affectibus, ambitionis præsertim & dominandi in fratres libidinis, in transversum agantur; ab altera parte zelum pro veritate ac domus Jehovæ puritate cum amore salutis animarum semper conjungant. Illud Deo, hoc Proximo debent. Nihil ad communem *Æoificationem* majus momentum afferet, quam *fervidus* gloriæ Dei amor *mansuetudine* ac lenitate erga illos, quibuscum ejusdem imbecillitatis atque indignitatis coram Deo consortes sumus, temperatus.

XXIV. Ubi ergo *Decisiones* de Articulis *Fidei* formandæ, ubi *FORMULÆ* ac *Symbola* componenda, illic alia *Concipientibus*, alia *Subsignantibus* incumbunt.

XXV. *Concipientes hinc* quidem uni Ecclesie *Fundamento* debent inharere, & per ejus conseruationem unionem mysticam Corporis Christi promovere; *inde* tamen æque sollicitè cavere, ne ultra limites in Verbo Dei fixos progrediantur. Nam.

(1) Quæ ad fundamentum strictè non pertinent, illa Deus suo iudicio *reservavit* 1. Cor. 111. 11 -- 15. Rom. xiv. 3. 4.

(2) Nimius rigor *unionem Ecclesie* non promovet, sed perturbat atque impedit.

(a) Dum *libertas prophetandi* coarctatur, schismata interne multiplicantur & foventur.

(b) *Anathemata* seu *detestationes* dissentientium verbo Dei non nixæ viam *Pacis religiose* cum illis, qui separati sunt, & quorum reconciliatio omni modo optanda quarendaque esset, intercludunt.

XXVI. *Introductæ Formulæ fideliter* in sensu orthodoxo & cum *Scriptura* ac mente *Ecclesie*, cujus professionem exprimunt, conveniente debent *adoptari*, *signari* ac *servari*. Duplex autem hic *obligatio* distinguenda est; una in *foro externo* Ecclesie, altera in *foro interno* Conscientie. In *priori* eousque *Formula* obstringunt, ut qui illa *recipere* detrectat, per hoc ipsum juri omni *communione* externæ cum tali Ecclesia renunciet. In *posteriori* non obligant, nisi quantum post maturum examen convicti sumus eas Verbo Dei convenire. Quare si contingeret ut quis deinceps Verbo Dei non respondere animadverteret, quæ antea ei consona esse iudicavit, illi integrum esset in tantum a *Formulâ*

tanquam humana discedere & contrarium statuere, sub hac tamen conditione, ut simul se abdicet illis privilegiis, quæ cum Formulæ illius professione conjunctæ erant, ne Sycophantam in Ecclesia agat.

XXVII. DISCIPLINA nominatur illud jus quod Ecclesia in corpore seu representativa habet ad illos, qui scandalo magis enormi Communioni Sacra stigma inurunt, ab illa ad tempus suspendendos aut segregandos, donec spem emendationis præbuerint.

XXVIII. Non dubitamus, Jus illud Ecclesia competere, & exercitium ejus Communionem Ecclesiasticam perficere.

(1) Exsertum adest Domini præceptum de dicendo Ecclesiæ & habendo pro ethnico & publicano Matth. xviii. 17. Adde loca statim citanda, in quibus peccata enumerantur, quæ Disciplina objectum sunt. Magis indirecte huc faciunt dicta Jes. lvi. 1. Matth. vii. 6. 1. Corinth. iv. 1. xi. 31. 32.

(2) Indoles Ecclesiæ hunc ordinem requirit.

(a) Quatenus enim est societas, domus, civitas, regnum, suos habet limites, sua instituta, quibus qui publice refragantur, pro membris talis societatis falso & inique habentur.

(b) Quatenus est societas sanctissima, major quoque ejus cura esse debet, ne a membris indignis proculcerut.

(3) Maxime hic ordo convenit Ecclesiæ N. T. tanquam communionem sanctiorem, posteaquam

foedus externum cum V. Test. exspiravit, colenti.
Unde

(a) Illa tales promissiones habet, quæ absque
Disciplinæ exercitio nequeunt impleri, præsertim
in ultimis temporibus Ezech. XLIV. 23. 24. Apoc.
XXI. 27.

(b) Eadem laudatur, quando hoc officio de-
fungitur v. gr. *Ephesina*, quod malos nequeat
olerare Apoc. II. 2.

(c) Defectus ejus miserrimum ejus statum red-
dit Jes. LIX. 14. 15. Apoc. XI. 2.

(4) Insignes sunt ejus fructus, *tum* quia an-
blasphemandi nomen Dei illis, qui extra Ecclesi-
am sunt, eripitur; *tum* quia ipsius Ecclesiæ splen-
dor ac potissimum *criterium*, quod est *Sanctus*,
ita magis apparet; *tum* quia deceptioni præten-
sorum Ecclesiæ membrorum sic melius via inter-
cluditur; *tum* quia conversio peccatorum hoc
pacto promovetur. Contraria damna in ejus ne-
glectu sunt timenda.

XXIX. Ut autem salutaris Disciplinæ effectus
exspectetur, rite erit administranda. Quam in
rem generatim præmonemus.

(1) Quod iudicium Ecclesiæ sit mere *spirituale*,
omnem pœnam *civilem & corporalem* excludens *Vir-
gam enim Apostolicam & traditionem Satanae* ad cha-
rismata extraordinaria Apostolorum referimus.

(2) Quod omne *præjudicium* tam *authoritatis*
quam *antiquitatis* in eo administrando debe-
at exui, cum & Israeliticæ Ecclesiæ diversa fuerit
Oeconomia, & monumenta nondum adulterata
antiquitatis Christianæ deficient, & mature usum
hujus potestatis nævi multi commaculaverint.

(3) Quo

(3) Quod scopus ejus unicus sit *salus* primo *Ecclesia*, & quantum cum illa consistere potest, illorum peccatis inquinatorum, in quos Disciplina exercetur. Huic scopo convenienter brevibus *officia* notamus, quæ tum circa *peccata*, tum circa *modum* disciplinæ a *Præstitibus* Ecclesiæ, ab illis, in quos *animadvertitur*, & a cœtu ipso observanda sunt.

XXX. Peccata sunt *Scandala*, non qualiacunque, sed

(1) Magis *enormia*, tam contra *dogmata* quam contra *vitam* Christianam impingentia. *Hereses* centura ferit Rom. xvi. 17. 2. Theff. III. 14. 15. Tit. III. 10. Sed & ad alia *vitia* extenditur, quale est obstinatio in animo irreconciliabili Matth. xv 14, 15. Plura adduntur 1. Cor. v. 11.

(2) *Scandala*, quæ eousque *palam* innotuerunt, ut de iis cognosci & delinquens convinci possit.

XXX. Illis, quibus Censuræ Exercitium hic demandatum est, sequentia incumbunt.

(1) Ipsi sint in doctrina vitæque *irreprehensibiles* & gravitate Christiana conspicui.

(2) Quantum penes ipsos est, omnem *prosopolepsias* speciem effugiant.

(3) Scopum sanctum habeant, non ut suum sed ut Ecclesiæ honorem factum rectumque conservent; non ut malum vindicent, sed emendent, & peccantem servent.

(4) Convenienter huic scopo zelum lenitate, indignationem misericordia ac patientia temperent.

(5) Prudenter per *gradus* pergant, qui tamen locum non habent, ubi scandalum in nervum erupit, sed duntaxat, ubi majori scandalo potest præcaveri. Præcipui *gradus* sunt accurata causa cognitio, delinquentis convictio, hortatio privata & publica, suspensio, exclusio, pudefactio.

(6) Exclutorum curam non deponant, sed media ad ovium pereuntium reductionem congrua usurpent.

(7) Ubi sufficientia pœnitentiæ signa exhibentur, faciliores sint ad recipiendum, quam excludendum, sibi que & Ecclesiæ de talis animæ lustratione impense gaudeant.

XXXII. Ex numero illorum, quos disciplina ferit, *summum Magistratum* magis exemptum esse, contra fastum Ecclesiæ Antichristianæ defendimus, non solum, quia conventus omnes Ecclesiastici ab authoritate *Principis* dependent, sed etiam quia periculosissimum est, contemptui subditorum illum exponere. Quoad reliquos, qui *cenfuram* in se provocarunt, eos fas est

(1) Illam non pro pœna sed pro correctione salutari habere, & inter beneficia divina reputare, quod acrioribus hisce aculeis a via perversa revocentur.

(2) Correptiones cum *reverentia*, quæ Verbo Evangelii debetur, secundum cuius normam instituuntur, admittere, etiam tum, cum honore inter homines excellunt. Turpitude enim non *cenfuræ* sed *peccato* ipsi inest. Qui *cenfuram* legitimam corde humiliato admittit, probrum peccati tegit. Qui ei resistit, idem obstinationem suam adauget.

XXXIII. Cætera cætus membra quod concernit, fas est:

(1) Suæ *imbecillitatis* singulos esse memores, ne super *lapsos* se efferendo ipsi a gratia Dei destituantur.

(2) *Precibus* pro *lapsis* apud Deum intercedere.

(3) *Hortando* atque *pudefaciendo* ipsos, magis quam ab omni conversatione eorum se separando, instare, ut ad pœnitentiam eos incitent.

(4) Adjuvare Rectores Ecclesiarum in convictione impœnitentium, atque illum in finem iudicio ac testimonio veritatis se non subtrahere.

Dic Ecclesie! Mar. 13.

(5) Ab obstinatis, obsequendo iudicio Ecclesie, se tanquam ab *ethnicis* ac *publicanis* separare, donec emendatio sequatur.

XXXIV. Cum *Judicia Ecclesiastica* sæpenumero etiam *CEREMONIAS & Ritus externos* definire soleant, quos Deus libertati ac prudentiæ Ecclesie reliquit, negari nequit, quoad fieri potest, *Conformitatem* eorum admodum esse desiderandam. Nihilominus caute illa est urgenda. Nam Ecclesie salus ab unitate non Rituum sed fidei & spiritus dependet Eph. 1 v. 3. Et liberum Ecclesie semper fuit circa Ritus abrogandos, addendos, mutandosque iudicium. Præterea oportet *Ritus* esse *simplices & paucos*, ne Ecclesie libertas pessumdetur, aut sub eorum prætextu superstitione invehatur; veluti exemplo Papismi constat. Ubi autem ritus sunt inveci, nisi Verbo Dei e diametro adversentur, propter eos non debent fluctus in sympulo moveri. Incumbit tamen illis, quibus

quibus id negotii demandatum est, occasionem emendationis eorum idoneam propter *antiquitatis præjudicium* temere non prætermittere.

XXXV. Ubi *Corruptio* Ecclesiæ *universalior* evasit, mature ejus REFORMATIO est suscipienda. *Totalem* Reformationem requirebant tempora Christi & exitus Patrum nostrorum ex Antichristianismo. *Partialis* desideratur nostra ætate. Notandum ergo, quid relate ad illam tum *singulis* Christianis, tum iis præcipue, qui circa ejus *promotionem* aliquid valent, incumbat.

XXXVI. *Singulis* commendamus, de *temporum* nostrorum *infelicitate* conceptum congruum formare, idque per collationem eorum tum cum *Lege Dei* in genere, tum specialius cum *Prophetiis* præcise nostram ætatem spectantibus.

(1) Ex *priori collatione* confici potest, tum quanta deformatio omnes Status pervaserit; tum quoniam fontes Ecclesiæ in tam clara Evangelii luce tantopere deturpatæ sint; tum quoniam *Judicia* eapropter merito sint timenda.

(2) Ex *posteriori collatione* apparebit; tum quod a providentia divina hic insanabilis morbus Ecclesiæ Protestantis dispensetur; tum quod nunquam eosusque sit progressurus, ut reliquias seminis sancti plane sit absorpturus; tum quod meliora sperare liceat; tum quod Deus ad purgandam Ecclesiam *Judicia* tremenda sit adhibiturus; tum quod in limine eorum temporum firmus constituti, ac propterea ad illa nos præparare debeamus.

XXXVII. Hæc ubi rite animadvertentur, *præjudiciis*, quæ multi contra necessitatem cujuscun-

que Reformationis conceperunt, & propterea Ecclesie vero splendori promovendo supersedent, non erit locus. In horum numerum referimus, quod feliciora præ majoribus nostris tempora vivamus; quod singulari prærogativarum ac bonorum Ecclesie N. T. abundantia gaudeamus, quam in rem inconsulto varia Prophetarum dicta solent detorqueri, quasi quæ certo intervallo promissa sunt, ad totam Oeconomiam Nov. Test. pertinerent; quod mundus semper in malo jacuerit; quod omnis mutatio sit periculosa; quod major necessitas sit exspectanda, antequam quicquam innovetur; quod Ecclesiastici sub hoc prætextu auctoritatem suam stabilire quærant &c.

XXXVIII. Quos sensus dolorque *labi* nostrorum temporum altius occupavit, eos fas est

(1) Deum *precari*, ut promissiones de majori Ecclesie puritate restituenda velit implere. Tales v. gr. sunt Ps. LXXII. Jes. LVIII. LX. LXVI. Apoc. XX--XXII.

(2) *Reformationem* proprii cordis serio instituire, præcipue cum ad temporum nostrorum calamitatem vel maxime exigua Spiritus illuminantis in ipsis regentis mensura pertineat.

(3) Non præcurrere *importuna imprudentia* illis, ad quos proxime hoc opus spectat, multo minus ab eorum communione si cunctentur, *divortium facere*; sed potius agnoscere, quod ad Reformationem Ecclesie generaliore instituentam & singularia dona Spiritus sancti & arctissima Virorum manus operi, admonentium harmonia pertineant; atque eapropter opportunitatem

a Deo ipso suo tempore praestandam patienter expectare.

XXXIX. Illi autem, ad quos magis tanti operis susceptio pertinet, sunt *Magistratus & Rectores* Ecclesiae manus inter se amice jungentes, illi *authoritate*, hi *consilio* valentes. Ab utraque parte ergo fas est ad vocationem Dei & opportunitates agendi attendere, & ubi illa apparet, strenue rem agere. Quod si *unus* forte aut *pauciores* necessitatem emendationis agnoscant, nec tamen reliquis eam persuadere queant, posteaquam convincendo, hortando, tentando iverunt, quo poterant, ac difficultatibus superandis se impares esse experti sunt, in providentia divina acquiescant, & curam Ecclesiae Deo permittant, qui in Ministris suis nihil requirit, praeterquam *fidelitatem*.

XL. Quod si contingat Ecclesiam *PRESSAM* sub *Magistratu diversae Religionis* agere, incumbit ei

(1) Invigilare accuratius, ut *vinculum Communionis* integrum conservetur, utpote a quo singulare robur ei accedet.

(2) Quae ad decentiam atque *ordinem* bonum pertinent, studiosius conservare, ut per exemplum bonum instar Ecclesiae Hierosolymitanae gratiam apud Deum atque homines nanciscatur Actor.

II. 47.

(3) Quamvis in exercitio jurisdictionis ac Disciplinae Ecclesiasticae minus a Magistratu dependeat, nihilominus ei non resistere in quibuscunque, quae directe conscientiam non continent; ac potius etiam iniquis eorum *interdictis*, si res per naturam suam sint *adiaphora*, mo

rem gerere, & meliora tempora exspectare, quam renitendo fortius conservationem cœtus in discrimen adducere.

XLI. Ubi autem Ecclesia *sub cruce* agens gravius premitur ac *persecutionibus* ad ejus interitum tendentibus sive clandestinis sive publicis est exposita.

(1) *Communio* Ecclesiastica tamdiu est conservanda, quamdiu absque præsentissimo periculo singulorum membrorum licet.

(2) Unde & *Moderatoribus* non antea se subducere competit, quam liqueat, quod ipsorum personæ & capita speciatim impetantur.

(3) Cavendum tamen sollicitè a quibuscunque conatibus & actionibus, quæ in suspensionem seditionis moliminum adduci queunt. In quem finem etiam communionem ad tempus dissolvere præstat.

(4) Ubi spes omnis restituendæ Communionis dissolutæ decollavit, voluntarium exilium quibuscunque vitæ commodis erit præferendum; multo magis quando violentæ exactiones accedunt, quibus conscientia ad actus Honori Dei contrarios cogitur, aut propinqui ac speciatim liberi periculo apostasiæ exponuntur.

(5) Ecclesia exulans ac dispersa, quamprimum & ubicunque locorum fieri potest, denuo colligi ac restaurari debet.